

rantes, qui postmodum in Consistorio semi-publico ad hunc effectum indicto, presentibus etiam nostris tunc suis, & Sedis Apostolicæ Notariis, & Causarum Palatii Apostolici Auditoribus ex eis, quæ ab eo proposita, & ex processu relata fuerant, B.Paschalem Canonizandum esse apertis suffragiis unanimiter censuerunt.

Canonizatio d.S. cum aliis 4. ab Alexan. VIII. celebrata fuit.

§. 25. Cum itaque nil aliud desideraretur eorum, quæ ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrorum Canonum Decretis, præfata S. R. E. antiqua consuetudine, ac Decretorum ejusdem Urbani Prædecessoris præscripto agenda, & observanda erant, idem Alexander Prædecessor adveniente prædestinata die 16. Octobris anno præterito 1690. Pontificatus sui I. in Sacrosancta B. Petri Apostolorum Principis Basilica, quo solemniter cum Venerabilibus Fratribus nostris, tunc suis ejusdem S. R. E. Cardinalibus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis Filiis dicte Romanæ Curie Prælati, Officialibus, & Familiaribus suis, Clero Sæculari, & Regulari, & maxima Populi frequentia man convenerat, iteratis primo, secundo, & tertio pro Canonizationis Decreto petitionibus per dilectum Filium nostrum tunc suum Petrum S. Laurentii in Damaso Cardinalem Orthobonum nuncupatum, nomine præfatorum Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Caroli Hispaniarum Regis Catholici, post sacros Hymnos, Litanias, aliasque Preces, & post Spiritus Sancti gratiam rite imploratam, ad honorem SS. Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac sua natura deliberatione præhabita, & Divina ope sæpius implorata, ac de præfatorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum tunc in Urbe existentium consilio, B. Paschalem Baylon, una cum Beatis Laurentio Justiniano, Jo: a Capistrano, Joanne de Sancto Facundo, & Jo: de Deo, SANCTUM esse decrevit, & definivit, ac Sanctorum Catalogo adscripsit, statuens ab Ecclesia Universalis quolibet anno die 17. Maji, qua obdormivit in Domino, memoriam ipsius inter Sanctos Confessores recoli debere. In nomine Patris, & Filii Spiritus Sancti. Amen.

Indulgentia plenar. in ipsa die Canonizationis, & alia 7. ann. & totid. quad. in ejus festo concessa.

§. 26. Quibus peractis, Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Christum Dominum, Patris Sempiternum Filium, ac Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, nunquam Dominum laudibus, & confessionibus veneratus, Sacroque Hymno Te Deum solemniter decantato, peculiari Oratione, etiam per dicti Beati Paschalis merita precatus fuit, atque Missæ ad Altare B. Petri Apostoli, cum ejusdem B. Paschalis commemoratione a Venerabili Fratre nostro tunc suo Palatio Episcopo Sabinen. ejusdem S. R. E. Cardinali de Alteriis nuncupato, solemniter celebratæ, interfuit, omnibusque Christianis, delibus tunc presentibus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessit. Visitantibus autem quotannis in præfata die festo ejusdem B. Paschalis Sepulcrum, in quo ejus Corpus requiescit, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodo libet debitis poenitentis misericorditer in-

Domino relaxavit in forma Ecclesiæ consuetata.

§. 27. Ne autem de Decreto, Definitione, Adscriptio, Statuto, Concessione, Relaxatione, aliisque præmissis, ex eo quod super illis ipsius Alexandri Prædecessoris Literæ, ejus superveniente obitu, confectæ non fuerant, valeat quomodolibet hæsitari: Volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod Decretum, Definitio, Adscriptio, Statutum, Concessio, Relaxatio aliisque præmissa a dicta die 16. Octobris anni 1690., sum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Alexandri Prædecessoris Literæ sub Datum ejusdem diei confectæ fuissent, prout superius enarratur. Quodque præfatas Literæ ad probandum plene Decretum, Definitionem, Adscriptio, Statutum, Concessio, Relaxationem, aliisque præmissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius admiculum requiratur.

Relata omnia declarantur verissima ab Pontifice.

§. 28. Caterum, quia difficile foret præfatas nostras Literas ad singula loca, ubi opus esset deferri, volumus, ut eorum exemplis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ eisdem presentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Clauful.

§. 29. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum voluntatis, & Decreti infringere, eique ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo, sexcentesimo, nonagesimo primo. Idibus Julii Pontificatus Nostri Anno Primo.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



- Ego Aderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cyro.
Ego Flavianus Episcopus Portuen. Cardinalis Cbinius.
Ego Jacobus Episcopus Tusulanus Cardinalis Franzonus.

Ego

Ego Petrus Episcopus Sabinen. Cardinalis de Alverii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camera-rius.

Ego F. Tit. S. Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Maudalchini.
Ego Carolus Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Barberinus.

Ego Nicolaus Tit. S. Calixti Presbyter Cardinalis Acciajulus.
Ego Gaspar Tit. S. Mariæ Transiberim Presbyter Cardinalis Carpinus.
Ego Casar Tit. Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Cardinalis d'Estres.

Ego Franciscus Tit. S. Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis Nerlius.
Ego Hieronymus Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Casanate.
Ego Galeatius Tit. S. S. Quirici, & Julitæ Presbyter Cardinalis Marscottus.
Ego Fabritius Tit. S. Chrysgoni Presbyter Cardinalis Spada.
Ego P. Thomas Howardus Tit. Sanctæ Mariæ Super Minervam Presbyter Cardinalis de Norfolcia.
Ego Joannes Baptista Tit. S. Cecilie Presbyter Cardinalis Spinula.

Ego Savus Tit. S. Petri in Vincula Presbyter Cardinalis Millinus.

Ego Fr. Laurentius Basilica Duodecim Apostolorum Presbyter Cardinalis de Laurea.
Ego Jacobus Tit. S. Mariæ in Ara-Cæli Presbyter Cardinalis de Angelis.

Ego Joannes Tit. S. Petri in Monte Auro Presbyter Cardinalis de Gassen.
Ego P. M. Tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis Petruccius.

Ego Joseph Saens Tit. S. Balbinæ Presbyter Cardinalis de Aguirre.
Ego Leander Tit. S. S. Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Colloredus M. Penitentiaris.
Ego F. Tit. S. S. Joannis, & Pauli Presbyter Cardinalis Carafa.
Ego Bandinus Tit. S. Thomæ in Parione Presbyter Cardinalis Panciatius.

Ego F. Tit. S. Clementis Presbyter Cardinalis de Abdua.

Ego Tullanus Tituli Sanctæ Agnetis extra Mœnia Presbyter Cardinalis de Janfon de Fourbin.

Ego Joannes Baptista Tit. S. Laurentii in Pane, & Perna Presbyter Cardinalis Rubinus.

Ego Joannes Baptista Tit. S. Bernardi Presbyter Card. Costagutus.

Ego Flavianus S. S. Cosmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis Astallius.

Ego Petrus Tituli S. Laurentii in Damaso Cardinalis Diaconus Octobonus S. R. E. Vice-Cancellarius.

Ego Carolus S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Card. Bichius.

Ego Aloysius S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Homodeus.

Ego Joannes Franciscus S. Adriani Diaconus Card. Albanus.

Ego Laurentius S. M. in Aquiro Diaconus Cardinalis de Alteriis.

Ego Franciscus S. Angelî in Foro piscium Cardinalis Barberinus.

VII.

Statuitur, ut Dieta Intermedia Congregationis Monachorum Casinen. celebretur post biennium a Capitulo.

Dat. 28. Julii 1691. Anst.

De hujusmodi Dieta, & Capitulo vide Innoc. XI. Const. ed. 1680, Septem. 9, P. 4.

INNOCENTIUS PAPA XII

Ad perpetuam rei memoriam.

Lias postquam fel. rec. Innocentius PP. XI. prædecessor noster ad evitandas expensas, ac itinerum incommoda, quibus Congregatio Casinen. Ordinis S. Benedicti, ejusque Monasteria, & personæ propter nimium frequentes Capitulorum Generalium, & Diatarum intermediarum celebrationes gravabantur, per quasdam suas in simili forma Brevis die 9. Septembris 1680. expeditas literas, ut in posterum tam Capitulum Generale, quam Dieta intermedia præfate Congregationis nonni de triennio in triennium ab inde proximo futuro Capitulo Generali, quod tertia Dominica post Pascha Resurrectionis Dominicæ anni tunc proxime venturi 1681. celebrandum erat incipiendo celebraretur, ita scilicet, ut Dieta hujusmodi octodecim mensibus post celebrationem cujuscumque Capituli Generalis pro rebus, & negotiis, quibus interea consulendum fuisset, ante tamen festum Circumcisionis Domini immediate sequens, & non aliter haberi deberet, statuerat, & ordina-

Ab Innoc. XI. tam Capituli Generalis quæ Dieta determinata fuit de triennio in triennium.

ac ex alia quacumque quantumvis favorabili, ac urgentissima, & de necessitate specialiter exprimens causa, sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus, etiam in Appaltuum, & locationum Cameralium instrumentis, quantumvis auctoritate Apostolica confirmatis, promissum, & cautum sit eas observari debere, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, & alias quomodocumque, & qualitercumque in genere, vel in specie ad vitam, vel ad tempus, five in perpetuum concessas, & datas, ac pluries, & iteratis vicibus confirmatas, approbatas, revalidatas, & innovatas, & inde etiam iudicis auctoritate sequuta quacumque, necnon quavis literas, etiam Apostolicas sub Plumbo, vel in simili forma Brevis, motus proprii, cedulas, Chirographa, & scripturas huiusmodi ex nunc perpetuo revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino evacuamus, ac revocata, cassata, sublata, & abrogata, irrita, abolita, annullata, viribusque, & effectu penitus, ac omnino vacua esse, nec ulli prorsus in Petitorio, aut Possessorio, etiam Summariissimo, contra presentium literarum tenorem, & dispositionem suffragari posse: sed predictos omnes, & singulos exemptos ad omnium, & singulorum onerum predictorum solutionem, & supportationem pro rata eos tangente in posterum realiter, & cum effectu teneri in omnibus, & per omnia perinde ac si dictae exemptiones, & immunitates eis nullatenus concessae fuissent, nec Literae, ac cedulae motus proprii, chirographa, & scripturae huiusmodi, unquam emanassent, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine predictis decernimus, statuimus, & declaramus.

Verba revocatoria.

Ecclesiasticorum exemptiones ad limites juris communis reducuntur.

Excipiuntur illa Collegiorum quoad vicium, & vestitium.

Abolentur concessae Pontificum Consanguineis.

§.3. Præterea omnia, & quacumque privilegia, & indulta personis Ecclesiasticis, tam Secularibus, quam cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, ac Societatis etiam Jesu, Regularibus super similibus immunitatibus, & exemptionibus per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros concessa, ad limites juris communis, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine, & tenore predictis reducimus.

§.4. Illa vero, quae nonnullis Collegiis in alma Urbe nostra existentibus per dilectos filios Clericos Regulares dictae Societatis Jesu, five alios quoscumque administrari consuetis similiter a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessa fuerint, quoad vicium, & vestitium dumtaxat, non autem, ut vulgo dicitur a fundaco, & Magazzeno, prout antehac observatum fuit, suffragari volumus, & decernimus.

§.5. Ac demum similia privilegia, & Indulta Nepotibus, & aliis Consanguineis, vel affinis quorumcumque Romanorum Pontificum, Prædecessorum nostrorum pro tempore viventium ab illis respective concessa itidem revocamus, & abolemus, ac revocata, & abolita esse, ac censi debere volumus, & statuimus, declarantes illa nemini eorumdem nepotum, five Consanguineorum, vel affinium a die nostrae ad summi Apostolatus apicem assumptionis suffragari posse, & debere, seu potuisse, ac debuisse.

§.6. Per præmissa autem non intendimus re-

vocare exemptiones, & immunitates quibuscumque personis Ecclesiasticis tam Secularibus, quam Regularibus de jure competentes neque Theaurariis, Appaltatoribus, & Conductoriibus honorum, introituum, & Jurium dictae Camerae Nostrae ab ipsa Camera seu aliis illius nomine, in appaltuum, & locationum Instrumentis, & illorum ratione ex contractu, tituloque vere oneroso concessas.

§.7. Ac insuper a revocationibus, & aliis supradictis excipimus, & exemptas esse volumus, & declaramus immunitates, & exemptiones quibusvis universitatibus, & personis datas, & concessas in vim contractus ex causa vere onerosae, videlicet congruae, & effectualis pecuniarum solutionis, & non alias eidem Camerae Apostolicae, vel ipsis Communitatibus legitime factae vel ex aliis rationalibus causis per nos cognoscendis, & approbandis, ut infra, ac etiam declarandis. Quas omnes causas onerosas non nisi legitimas, ac licitas, & honestas, prout de Jure approbare intendimus.

§.8. Et propterea quicumque illas obtinent, eas in dicta Camera citato dilecto filio ipsius Camerae Commissario Generali verificare, & in ipsa Camera examinari, & admitti facere teneantur, etiam si concessionem earumdem immunitatum, & exemptionum, ac literarum, cedulae Motus proprii, Chirographa, & alia Scripturae desuper emanatae, & emanata alias in Camera predicta admittat, & admittat, ac in illa, ejusque libris registrata, & registrata fuerint, & sint; quatenus tamen causa onerosa huiusmodi pro vere onerosis, & legitimis, ut supra alias in eadem Camera verificata, & approbata, ac pravia judiciali discussione, non sint legitime habita: quo casu ad indicationem tantum, non autem ad aliam verificationem eosdem obtinentes teneri volumus, interim vero quamdiu non fuerint verificatae minime suffragari, & presentis revocationis effectum retardare non posse declaramus. Præterea nostrae intentionis non est sub revocationibus, & aliis supradictis comprehendere immunitates, & exemptiones eidem S.R.E. Cardinalibus ratione dignitatis Cardinalatus, necnon Camerae predictae Clericis Præsentibus, aliisque Cameralibus, qui in eadem Camera federunt, & sedent, concedi seu admitti solitas; nec illas, quibus Prælati, & Officiales Romanae Curiae, ac Prælati domestici, Cubicularii secreti, ac Secretarii, & alii familiares, & continui Commensales nostri, & Romani Pontificis pro tempore viventis, in Rotulo descripti gaudent, & gaudere consueverunt, neque illas ob numerum duodecim Filiorum a prædecessoribus nostris, & aliis supra expressis concessas, quas tamen ad terminos Constitutionis rec. me. Pii Papae IV. prædecessoris pariter nostri, quae incipit; *Licet fel. voc. Paulus &c.* ejus tenorem presentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi, illamque ex parte, & admissum juxta illius seriem, tenorem, & dispositionem in omnibus, & per omnia servari debere volumus; ac aliarum Constitutionum Apostolicarum super similibus exemptionum declaratione editarum, & ad illas tantum, & pro tempore, & personis, ac modo, & forma, prout de jure communj illis competunt, ac alias juxta ipsius juris communis, ac supradictarum, & aliarum Constitutionum Apostolicarum dispositio-

Consanguineis ex jure, vel causa onerosa datae serventur.

Causa onerosa verificari, & tanquam legitime approbari debent in Camera.

Præservantur exemptiones Cardinalibus, Clericis Camerae, aliisque

Injungitur Minutis executioni presentium.

Lites super præmissis extinguntur.

Clausula.

sitionem reducimus; neque aliter, quam, ut præfertur, five in Possessorio, five in Petitorio suffragari volumus, & decernimus.

§.9. Cæterum Appaltatoribus, Theaurariis, Depositariis, Commissariis, Executoribus, & cæteris agentibus, & Ministris dictae Camerae, ac Communitatum, & Universitatum predictarum, earumdem serie presentium districtius inhibemus, ne contra ipsarum presentium dispositionem immunitates, & exemptiones, nisi, ut supra exceptas, ac eas, quas ex causa vere onerosa concessas in Camera predicta, ut præfertur, admitti contigerit, ullatenus admittant: & si fecerint, id nemini eorum in suis computis, seu rationibus per eandem Cameraam admitti volumus, sed eorum damno, cessurum esse declaramus.

§.10. Postremo lites quilibet occasione Privilegiarum, ac Indultorum, necnon Immunitatum, & exemptionum huiusmodi quomodolibet suscitatas, & in quibusvis Tribunalibus pendentes (illarum omnium, & singularum statum, & merita, nominaque, & cognomina Judicum, & colligantium quorumvis, etiam speciali mentione dignorum, & alia etiam de necessitate specialiter exprimens, presentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes) a quibuscumque Tribunalibus huiusmodi ad Nos, earumdem serie presentium avocamus, illasque penitus, & omnino perpetuo supprimimus, & extinguimus, & pro suppressis, & extinctis haberi volumus, & declaramus, ac partibus perpetuum desuper silentium imponimus.

§.11. Decernentes presentes literas, ac omnia, & singula in illis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, five eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, ac ad ea vocati, & auditi, seu Cause propter quas ipsa presentes emanarunt adductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam ullatenus justificatae non fuerint, aut ex alia quavis quantumlibet legitima, pia, juridica, & privilegiata Causa, colore, pretextu, occasione, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, & totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis, quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, suspendi, limitari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, seu etiam motu simili concessio, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque easdem presentes sub quibusvis similibus, vel dissimilibus Constitutionum, ac revocationum, & ordinationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis comprehendendi, aut comprehensas censi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illae emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori data, quatenus opus sit, de novo concessas, perpetuoque validas, firmas, & effica-

ces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, ac obtinere, ac omnibus, ad quos spectat, & quodcumque spectabit, inviolabiliter observari.

§.12. Sicque in præmissis per quoscumque, Judices, & Commissarios, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eisdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere-Legatos, & quovis Sedis, & Camerae predictarum Officiales, & Ministros, & alios quoscumque quavis auctoritate, & potestate fungentes nunc, & pro tempore existentes: sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.13. Quocirca dilectis Filiis Nostro, ac S.R.E. predictae Camerae, seu Pro Camerae, necnon Vice-Camerae, Theaurario, ac Clericis Præsentibus, Commissario, & aliis Camerae predictae Officialibus, ad quos spectat, præcipimus, & mandamus, ut presentem nostram Constitutionem, & in ea contenta quacumque in omnibus, & singulis firmiter, & inviolabiliter observent, & faciant ab aliis observari.

§.14. Non obstantibus supradictarum litium pendentia, aliisque omnibus, & singulis præmissis, necnon nostrae, & Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, ac quatenus opus sit, predicti Pii prædecessoris de gratiis quaecumque interesse dictae Camerae concernentibus, in eadem Camera presentandis, & registrandis, itaut presentes in ea presentari, aut registrarum nunquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque Indultis, concessionibus, immunitatibus, exemptionibus, Chirographis, Cedulis Motuum propriorum, ac aliis Scripturis, & Literis etiam Apostolicis predictis, & quibusvis aliis etiam, ut præfertur, qualificatis, ac speciali nota, & mentione dignis, etiam si nominatim essent exprimens, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis Clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis etiam inexcogitabilibus, & necessario exprimens, etiam contractus jurati cum Camera Nostra Apostolica initi, & Camerali obligatione vallati, & quovis alio robore, & cautela firmatis, editis, seu factis, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si in eis caveatur expresse, quod nullo unquam tempore sub similibus, vel dissimilibus exemptionum, & Immunitatum revocationibus, abrogationibus, aut aliis quibuslibet contrariis dispositionibus, & Constitutionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis excepta, & quoties illae emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restituta, reposita, & reintegrata, ac etiam sub posteriori data per quascumque personas eligenda de novo concessa

tiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit di- etiam Congregationis Bavarice, aliisque quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium premisorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad premisorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Augusti MDCXCI. Pontificatus nostri Anno Primo.

X.

Dat. 28. Aug. 1691. An. 1.

Conceditur Indulg. Plen. Perp. Ecclesiis Fratrum S. Joan. de Deo die 8. Martii

De hac Indulgentia vide Bullam Canonizationis Const. ed. 1691. Julii 15. P. 1.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Circensio pre- dicta.

Clavula.

Dat. 19. Sept. 1691. An. 1.

Celestium munerum Thesauros, quorum dispensatores nos esse voluit Altissimus, cum ad Christiane pietatis incrementum, & animarum Christi fidelium salutem profuturos speramus, libenter largimur. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Conventuum, & Domorum Regularium Ordinis Fratrum S. Joannis Dei hactenus erectis, & in posterum quodcumque erigendis, & ubicumque locorum die 8. Martii festo ejusdem Sancti Joannis de Deo a primis vespere usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Presentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§.1. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis presentibus, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Augusti MDCXCI, Pontificatus nostri Anno Primo.

XI.

Confirmatur, & innovatur Constitutio Urb. VIII. pro necessitatibus Locorum Terra Sanctae.

Similis confirmatio extat Alex. VIII. Const. ed. 1689, Novem. 18, P. 1. & hujus Pontificis Const. ed. 1696, Feb. 24, P. 5. reperitur confirmatio alterius Constitutionis pro iisdem locis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Salvatoris, & Domini nostri Jesu Christi, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti gerentes in Terris, inter multiplices, gravissimasque Apostolicae servitutis curas in eam praecipue pastoralis sollicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti, & tam salubris mysterii monumenta, quae in Civitate Hierusalem, & locis circumvicinis sunt, conserventur, & omni, qua fieri poterit, majori honorificentia recolantur.

§.1. Cum itaque alias se. re. Urbano Papa VIII. Praedecessori nostro exposito, quod Ecclesiae, & alia loca pia in Civitate Hierusalem, & aliis locis Terrae Sanctae existentia fere diruta erant, & quae adhuc ibi existebant Monasteria, aere alieno ob impiam Turcarum, hereticorum, & schismaticorum Tyrannidem, & pro Sanctae Fidei Catholicae in eisdem locis servatione contracto admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus Praedecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus, & singulis quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutum Regularium Generalibus commiserit, & mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus, & Quadragesimae temporibus, tam per verbi Dei Praedicatorum in suis Sacris Concionibus, quam in actionibus, & functionibus publicis necessitates eorumdem Sacrorum Monumentorum Populo proponi, & commendari curarent, & facerent, & alias prout in ipsius Urbani Praedecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 3. Februarii 1634. expeditis, quarum tenores presentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur. Et sicut pro parte dilecti filii Bernardi Josephi a Jesu Mariae Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum professoris, ac charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Catholici Concionatoris, necnon Tribunalis Sanctae Inquisitionis Consultoris, ac ejusdem Terrae Sanctae Commissarii, & Procuratoris Generalis nobis nuper expositum fuit, ipse quo praefata Urbani Praedecessoris literae, quae a re. me. Innocentio X. Clemente etiam X. Innocentio XI., ac Alexandro VIII. Romanis Pontificibus Praedecessoribus pariter nostris confirmatae fuerunt, exactius observentur, illas per nos pariter confirmari, & innovari desideret: Nos eorumdem Sacrorum Monumentorum servationi, & mantentioni consulere volentes, praedictas Urbani Praedecessoris literas Apostolica auctoritate tenore presentium confirmamus pariter, & approbamus, illasque innovamus, & observari mandamus.

§.2. Volumus autem, ut Patriarchae, Archiepiscopi, & Episcopi praefati in relatione status Ecclesiarum suarum, quando visitabunt limina Apostolorum faciendae, referant se praefatis Urbani Praedecessoris, & presentibus nostris literis

Ab Urb. VIII. injunctis fuit Ordinariis, & Generalibus, ut bis in anno exponi curarent necessitates Locorum Terra S.

Preces Procuratoris Gen. Min. de Obs. Reform.

Causa hujus Constitut.

Confirmatio, & innovatio praed.

Fides de executione dd. Constitutionis ab Ordinariis exhibenda.

teris

teris paruisse, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Clavula.

§.3. Volumus insuper ut earumdem presentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae presentibus ipsis exhiberet, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXI. Septembris MDCXCI, Pontificatus Nostri Anno Primo.

XII.

Dat. 5. Nov. 1691. An. 1.

Revocantur Immunitates, & exemptiones a vestigalibus aliisque publicis oneribus.

Eadem dispositionem habes Alex. VIII. Const. ed. 1689, Decemb. 24. P. 1.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Causa dictae revocationis.

Idem factum fuit a pluribus aliis Pontificibus.

Circumspecta Romani Pontificis omnium Christianissimum Patris & Pastoris providentia, sicuti Spiritualibus Dominici Gregis sibi divinitus commissi utilitatibus jugi vigilantia, consulere studet, ita & temporalibus suorum, & Apostolicae sedis, etiam quoad temporalia, subditorum commodis paterno studio providere satagit, prout aequitatis, & Justitiae ratio suadet, Reique publicae salus exposcere comperitur.

§.1. Cum itaque (sicut nobis innotuit) per quamdam Immunitates, & exemptiones, a vestigalibus, aliorumque onerum publicorum solutione, & supportatione, quae a nonnullis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris & Sede praefata, illiusque forsitan de Latere Legatis, ac aliis ejusdem Sedis, & Camerae nostrae Apostolicae Officialibus, & Ministris ad importunas supplicantium preces, seu alias quomodolibet concessae reperuntur, Camera praedicta, & Communitates, & Universitates Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum Temporalis S.R.E. Ditionis in gravissimis, quibus propter tot sumptus antehac in causam publicam factos, multaque onera propterea imposita, premuntur angustiis, maximam reddituum & proventuum suorum diminutionem patiantur, & plurimi subditi nostri, ac praecipue pauperiores, in quos ejus quod ceteris, iisque ut plurimum locupletioribus, per immunitates, & exemptiones hujusmodi remittitur, onus derivari necesse est, ingenti damno afficiuntur.

§.2. Hinc est, quod nos, Camera, ac communitatum, & universitatum, subditorumque nostrorum praedictorum indemnitati, & levamento, quantum cum Domino possumus aequae principaliter consulere cupientes, ac se. re. Sixti V. Pauli etiam V. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. Clementis IX. Clementis X. Innocentii XI. ac Alexandri VIII. aliorumque Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, qui Constitutiones similibus exemptionum & immunitatum revocatorias ediderunt, vestigiis

inherentes, necnon quarumcumque concessionum, immunitatum, & exemptionum hujusmodi, literarumque Apostolicarum sub Plumbo, ac in simili forma Brevis, cedularum motus proprii, & Chirographorum cujusvis Romani Pontificis Praedecessoris nostri manu subscriptorum, ac aliarum literarum, & scripturarum desuper quomodolibet emanatarum, pluriesque etiam confirmatarum tenores, etiam veriores, & datas, ac occasiones, & alia etiam speciali, ac individua expressione digna, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & verbatim insertis respective habentes: Motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetua valitura Constitutione omnes, & quascumque exemptiones & immunitates a solutione subditi triennialis, necnon quarti illi adjuncti, taxarum, equorum, talliarum, censuum, Archivii, Fogliette, treremium, utensilium, dohanarum, Gabeliarum quarumcumque, taxae Portus Anconae, quatrinarum, tractarum, pedagiorum, vestigalium, collectarum, & quorumlibet aliorum onerum, & munerum personalium, realium, & mixtorum, ordinariorum, & extraordinariorum, solitorum, & insolitorum Cameralium quorumcumque, ac etiam eorum, quae per Communitates, & universitates directae, vel indirectae pro eorumdem onerum Cameralium solutione, publicorumque munerum supportatione, ac pro viis, & Pontibus construendis, instaurandis, muniendis, & mantentionis, aliisque indigentis, & usibus quibuscumque, tam Camerae, quam Communitatum, & universitatum praedictarum, seu alias indicta, & imposita, ac exigenda sunt, necnon ab obligatione recipiendi, & hospitandi milites, & Sedis praedictae officiales, Barigellos, Executores, aliosque Justitiae ministros, eisque utensilia, & alia necessaria subministrandi per Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac eandem Sedem Apostolicam, & quosvis Sedis, & Camerae praedictarum officiales, & Ministros quacumque auctoritate, & potestate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, etiam Camerarios, ceterosque, etiam speciali nota, & expressione dignos, ac specialem ad id facultatem habentes, quibusvis Communitatibus, & Universitatibus, Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis ditionis temporalis S.R.E. praedictae, ac etiam quibuscumque Feudatariis, Censuariis, Dominis locorum, Familiis nobilibus, Baronibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus, & aliis cujusvis status, gradus, conditionis, & praeminentiae existentibus, ac quavis dignitate, etiam Ecclesiastica, & auctoritate praeditis etiam Cardinalatus honore fulgentibus, qui Castra, & Jurisdictiones intra limites dictae Ditionis temporalis S.R.E. possident, etiam, qui nihil ratione Castrorum, & Jurisdictionum hujusmodi Sedi praedictae annuatim, seu alias persolvunt, & tam incolis, quam extraneis, & forensibus bona stabilia, seu mobilia, vel fomentum habentibus, & tenentibus, seu possidentibus, omniumque supradictorum Colonis, & laborantibus, etiam in recompensum laborum, damnorum passorum, expensarum, vel meritorum, seu illorum intuitu, & contemplatione

Revocatio manu proprio facta.

Quibus auctoritate exemptiones.

ac ex

naverat. Idem Innocentius prædecessor nonnullas declarationes ad Regulam ejusdem S. Benedicti, ac Constitutiones dictæ Congregationis, in quibus id ipsum inter cætera decretum fuerat, Apostolica auctoritate confirmavit, & approbavit in ipsius Innocentii prædecessoris literis itidem in forma Brevis die 22. Novembris 1680. desuper emanatis, quarum, & prædictarum, ejusdem Innocentii prædecessoris literarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus uberius continetur.

Causa Constitutionis.

§.1. Cum autem, sicut dilectus filius Procurator Generalis præfate Congregationis Casinen. Nobis nuper exponi fecit, Capitulum Generale dictæ Congregationis novissime nempe mense Aprilis 1690. Perusæ celebratum tempus hyemale pro Dieta intermedia præfate celebratione Visitatoribus, qui eidem Dietæ interesse, nec non Abbatibus, ac Monachis, qui ab uno ad aliud Monasterium tunc temporis transmigrare debent, valde incommodum adverterit, adeoque dicto Procuratori Generali mandaverat, ut ab hac Sancta Sede decerni curaret, quod in posterum Dieta supradicta duobus annis post celebrationem Capituli Generalis, nempe tertia Dominica post Paschæ Resurrectionis Dominicæ celebrari posset: Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Procuratoris Gen.

§.2. Nos igitur specialem ipsi Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium, dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut de cætero Dieta intermedia præfate Congregationis Casinen. duobus annis post celebrationem cujuscumque Capituli Generalis nempe tertia Dominica post Paschæ Resurrectionis Dominicæ a proximo venturo anno 1692. incipiendo, atque ita perpetuis futuris temporibus continuando, & non aliter, haberi debeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Statutum prædictum de Dieta in quolibet biennio.

Clausula.

§.3. Decernentes easdem præsentis literas & in eis contenta quæcumque, semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore, quodcumque spectabit inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus præfatis Innocentii prædecessoris literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis, & Ordinis præfatorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, &

literis Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Julii MDCXCI. Pontificatus nostri Anno Primo.

VIII.

Confirmatur Decretum contra donationes, ac remissiones post rem judicatam bonorum Fabricæ S. Petri.

Dat. 31. Julii 1691. An. 1.

Inn. XI. Const. ed. 1678, Feb. 25, P. 2. agitur de Capitulo S. Petri.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut accepimus, alias Venerabilis Frater noster Alderanus Episcopus Ostien. S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus, Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super negotiis Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe deputatæ Præfatus, per suum Decretum die 6. Octobris 1688. editum declaravit mentem fel. rec. Innocentii Papæ XI. prædecessoris nostri fuisse, quod nihil penitus a Fabrica prædicta donaretur neque ad titulum elemosynæ, dum ipsa tamen ingenti are alieno gravata dignoscatur, minisque debitoribus, vel aliis quibuscumque supplicantibus pro compositione quidquam remitteretur post applicationem, seu rem judicatam ad favorem dictæ Fabricæ, nisi constito de vera paupertate, & impossibilitate solvendi onerando conscientias Officialium, seu deputatorum quorumcumque tunc, & pro tempore ad negotia ejusdem Fabricæ existentium, & ita servari mandaverit: Nos inviolabilis Decreti hujusmodi observationi, ac Fabricæ supradictæ, cujus cura præcipuo quodam jure Nobis incumbit, indemnitati quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Decretum, supradictum cum omnibus, & singulis in eo contentis tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Prædictum Decretum editum fuit a Card. Præfato juxta m. 6. tem Inn. XI.

Confirmatio Decreti motu proprio facta.

Clausula.

§.1. Decernentes easdem præsentis literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri

tiri, & obtinere; ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit inviolabiliter observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Fabricæ præfate Congregationem Officiales, & Ministros nunc, & pro tempore, quodcumque existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Basilicæ Principis Apostolorum, illiusque Fabricæ prædictarum, & aliis quibusvis, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XXXI. Julii MDCXCI. Pontif. nostri Anno Primo.

IX.

Dat. 11. Aug. 1691. An. 1.

Conceduntur Privilegia spiritualia Monachorum Congregationis Casinensium Congregationi Benedictino-Bavaricæ.

Ab Inn. XI. Const. ed. 1688, Julii 10., P. 12. concessa fuerit Privilegia & Indulgentia Congregationis Helveticæ.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Credita nobis Divinitus dispensationis ratio exigit, ut paternam Religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vite Monasticæ Instituto mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, aspirante superni favoris auxilio, proferre jugiter satagentium curam gerentes, felicioribus eorum in via Domini progressibus, quantum nobis ex alto conceditur providere studeamus. Cum itaque, sicut dilectus filius Bonaventura Oberheber Monachus, expressè professus, & Procurator in Romana Curia Congregationis Bavaricæ Monachorum Ordinis S. Benedicti, etiam nomine dilectorum filiorum Gregorii Abbatis Monasterii Schyrensis Præfatis, & cæterorum Abbatum dictæ Congregationis, nobis nuper exponi fecit, alias Congregatio prædicta a se: Innocentio Papa XI. Prædecessore nostro erecta, & instituta, ac pluribus gratis, Indultis, & Privilegiis decorata fuerit, & subinde idem Innocentius Prædecessor pro felici, prosperoque ejusdem Congregationis regimine, & gubernio nonnullas in primo ipsius Congregationis Capitulo Generali editas Constitutiones auctoritate Apostolica confir-

Hæc Congregatio ab Inn. XI. erecta fuit, & privilegiis ornata, ejusque Constitutiones ap probatæ.

maverit, & approbaverit, & alias prout in binis ipsius Innocentii Prædecessoris desuper in simili forma Brevis die 26. Augusti 1684. & die 6. Februarii 1686. respective expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis & insertis haberi volumus, uberius dicitur contineri; nunc vero ipse Bonaventura, ut regularis observantia, quæ per Dei gratiam in eadem Congregatione viget, latioribus in dies proficiat incrementis, ipsi Congregationi, ejusque Monasteriis, & Monachis eadem gratias, exemptiones, Indulta, Indulgentias, favores, & privilegia siltent ad res spirituales, & salutem Animarum spectantia, quibus Congregatio Casinensis Monachorum Ordinis prædicti gaudet, communicari plurimum desideret: Nos ipsius Bonaventuræ votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, dictosque Gregorium Abbatem Præsidem, aliosque Abbates specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt ad effectum, præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præfate Congregationi Bavaricæ Monachorum Ordinis S. Benedicti, illiusque Monasteriis, Monachis, & personis nunc, & pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis Indultis, favoribus, exemptionibus, gratiis, & privilegiis spiritualibus dumtaxat dictæ Congregationi Casinensi, ejusque Monasteriis, Monachis, & personis quomodolibet concessis, etiam specifica, & individuali mentione, & expressione dignis, & quibus eadem Congregatio Casinensis, ejusque Monasteria, Monachi, & personæ de presenti utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti frui, potiri, & gaudere possunt pari modo uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si Indulta, favores, exemptiones, gratiæ, & privilegia spiritualia hujusmodi ipsi Congregationi Bavaricæ, ejusque Monasteriis, Monachis, & personis specialiter concessa reperirentur, sine præjudicio tamen gratiarum, Indulgentiarum, & privilegiorum eidem Congregationi Bavaricæ a supradicto Innocentio Prædecessore, sicut præmittitur, concessorum, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Causa Concessionis.

Preces Abbatum.

Cessio prædicta.

Clausula.

§.1. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.2. Non obstantibus nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis

... sint, & esse censeantur: necnon pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio acienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasionis, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectu habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.15. Ut autem eadem presentes literae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, illas ad Valvas Basilicae Principis Apostolorum, & Cancellariae Apostolicae, ac in Acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex Curatoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, quae sic publicatae, omnes, & singulos, quos concernunt, perinde efficiant, & ardeant ac si illorum unicuique personaliter notificatae, & intimatae fuissent. Utque earundem praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibite, vel ostense.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die V. Novembris MDCXCI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XIII.

Indicatur Jubilaeum universale initio Pontificatus pro salutari Ecclesiae regimine.

Extat vero aliud Jubilaeum universale huius Pontificatus Const. ed. 1693, Decem. 7, P.2.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Universis Christianis presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Procurantur.

AD Catholicam Ecclesiam regimen per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, cui proprium est infirma mundi eligere, & dexterae suae potentia facere fortia, post diuturnam Apostolicae Sedis vacationem, nullis nostris suffragantibus meritis evecti, parvum quidem, ut par erat, supernae vocis imperio, qua super nos Deus Majestatis intonuit, firma spe, atque fiducia in Domino freti, ut qui Nobis honoris author fuerat, ipse nobis fieret administrationis adjutor, ac ne sub magnitudinis gratiae succumberemus infirmi, virtutem daret, qui contulit Dignitatem.

§.1. Verum dum onerosam curarum Pontificiarum molem humilitati nostrae impositam serio contuemur, luctuosum undequaque hoc tempore Christianae Republicae statum Apostolicae charitatis studio consideramus: anticipaverunt vigilias oculi nostri, atque inter merores, & suspiria cum Propheta Regio exclamare compellimur, exaltatus humiliatus sum, & conturbatus: terrores tui conturbaverunt me: circum-

Causa Jubilaei.

dederunt me, sicut aqua tota, die circumdederunt me simul. Ardet siquidem cum gravissimo totius fere Europae incendio, ut cum maxime pertinax inter Christianos Principes bellum, quo pleraque, exque florentissima Christiani Orbis Provinciae tot per annos agitata, tanquam virga furoris Domini affliguntur. Immitis Turcarum Tyrannus non modo nuperis cum immortali Christiani nominis gloria acceptis cladibus irritatus, quam ingravescentibus in dies orthodoxorum dissensionibus in spem adductus, effectu rariori, quam unquam rabie, Bellum instaurare satagit, collectisque tot Provinciarum, & Regnorum, quae tyrannide sua opprimit, viribus, praeteritam ignominiam abolere, ac perniciosos conatus suos, qui protegenti Domino incassum haecenus ceciderunt, ad exitum deducere, suaeque perfidiae abominationem in agro Dei viventis plantare, & latius propagare meditatur.

§.2. Crescunt quotidie in Catholicae Fidei perniciem, haereticorum vires, Sanctaeque Dei Ecclesiae facies, qua multiplicatis in Religione dissidiis lacera, qua filiorum suorum iniquitatibus sedata, colore in pallorem mutato, animae nostrae amaritudines cumulatilime adauget. Dirra Epidemiae lues ante oculos pene nostrorum saevire adhuc non cessat. Omne caput languidum, & omne cor mœrens. Ubique terror, ubique malorum impendentium formido, itaut si unquam, certe nunc gravem manum Domini sentiamus, flagitiis hominum ejus iram jugiter provocantibus. Sed numquid in aeternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? Absit. Non enim obliviscitur misereri Dominus, nec continet in ira misericordias suas; sed qui multus est ad ignoscendum, ac propitiatur invocantibus eum veritate, effunder in nos divitias misericordiae suae, si iniquitates nostras, quibus eum offendimus nimis, humili confessione agnoscimus, dignos poenitentiae fructus faciamus, & obsecrationes nostras jejuniorum, atque elemosinarum viribus robatas, ad Altare Dei Patris misericordiarum jugiter offeramus. Concordibus itaque votis praestabilem super hominum malitia, Dei bonitatem invocemus, ut Clementissimus Dominus, qui dat lassio virtutem, & his, qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat, confortet Nos in potentia virtutis suae, repleatque Nos agnitione voluntatis suae in omni sapientia, & intellectu spirituali, effudens super nos spiritum consilii, & fortitudinis, quo inter tot rerum, ac temporum difficultates agnoscamus quae agenda sunt, oculisque in Deum semper intentis, quae recta sunt salubriter perficiamus. Oremus unanimiter, ut Dominator exercituum, qui conterit Bella ab initio erigat brachium suum, sicut ab initio, & illidat virtutem inimicorum nostrorum in virtute sua. Clamemus, ut qui facit pacem in sublimibus, & Reges in thronis collocat, dies nostros in sua pace disponat, ac Principum Christianorum animos, sublati discordiis, quibus componendis frustra videntur esse humana consilia, nisi caelesti ope adjuventur, fortiter, ac suaviter vincat in vinculo charitatis. Rogemus magnum Patrem familias, ut vineam suam electam custodiat, quam plantavit, Haereticos, & Schismaticos, ad Catholicam fidei veritatem, & Ecclesiae unitate m revoce, suum denique Populum ab ira-

ira-

iracundiae suae terroribus liberet, & per viam mandatorum ejus ambulantem gratiae suae donis in hac peregrinatione confoveat, & ad propositum aeternae beatitudinis praemium feliciter perducat.

§.3. Haec autem, &c. (Cetera omittuntur, quia eadem sunt, ac contenta in superiori Constit. Alex. VIII. ed. 11. Decembr. 1689. An. 1.)

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XII. Nov. MDCXCI. Pontificatus nostri Anno Primo.

XIV.

Confirmatur concordia super erectione Cathedralis Theologiae in Universitate Oseni: inita inter Monachos Cisterciens. Congreg. Hispaniarum, & Episcopum, aliosque.

De Universitatibus FF. Praedicatorum agitur Alex. VIII. Const. ed. 1690. Nov. 7, P. 2.

Dilecto filio nostro Petro S.R.E. Presbytero Cardinali de Salazar nuncupato.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dilecti filii noster salutem, & Apost. bened.

Erecta fuit d. Cathedra subribus Monasterii B.M.V. de Piedra pro Monachis Cisterciensibus.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Vicarii Generalis, & Monachi Congregationis Hispaniae Ordinis Cisterciens., quod cum ipsi alias sumptibus Regalis Monasterii Beatae Mariae Virginis de Piedra nuncupati dictae Congregationis Tirafonen. Dioecesis Cathedralam de Prima nuncupatam cum facultate Sacrae Theologiae in Universitate studii Generalis Osen. a pro tempore existentibus Monachis dicti Monasterii tantum, & veniente casu eorum deficientiae, a ceteris Regnorum Aragoniae, & Navarrae Monachis Congregationis hujusmodi obtinendam, fundaverint, idem Exponentes, ac dilecti filii Abbas, & Monachi Monasterii supradicti ex una, necnon Venerabilis frater modernus Episcopus Osen., dilecti pariter filii Capitulum, & Canonici Ecclesiae Osen., praedicta Universitas, ac communitas, & Homines Civitatis Osen. ex altera partibus ad occurrendum litibus, & dissidiis, quae super fundatione hujusmodi oriri possunt, mense Aprilis 1689. ad quamdam transactionem, seu concordiam inter se devenerunt, cum pactis, & conditionibus infra scriptis videlicet.

Concordia.

§.1. Conventum fuit primo, quod Episcopus Osen., Capitulum, Universitas, Rectores, Doctores, Magistri, Cathedralici, Consilarii, & Consilium Universitatis Civitatis praedictae opportunum praesentem consensum, ad hoc, ut Congregatio Cisterciensis praefata erigere possit, & erigat in dicta Universitate Cathedralam Theologiae sub denominatione Prima pro Monachis dictae Congregat. in perpetuum cum pacto, quod eadem Congregatio reportare debeat approbationem Regiam, & Apostolicam.

§.2. Quod quoties casus vacationis evenierit d. Cathedralis Vicarius Generalis dictae Congregationis, & Abbas praedicti Monasterii Regii de Petra pro tempore teneantur praesentare coram Deputatis dictae Universitatis duos Monachos ejusdem Monasterii, quorum alter eligendus erit a Vicario

Generalis, & alter ab Abbate Monasterii de Petra, & quatenus in dicto Monasterio unus dumtaxat reperitur cum infra scriptis qualitatibus, idem Vicarius, & Abbas eligere valeant alium ex aliis dictae Congregationis Monasteriis: Si vero nullus in dicto Monasterio cum infra scriptis qualitatibus reperitur, Vicarius Generalis teneatur praesentare alium, & alium Abbas praefatus, qui nequeat a Vicario Generali super hac praesentatione impediri, nec e contra.

§.3. Quando vero praesentatio fiet de duobus Monachis, quorum alter sit filius dicti Monasterii de Petra, & alter alterius Monasterii post factum ab ipsis exercitium literarum pro dictae Cathedralis provisione Universitatis arbitrium suum dare teneatur Monacho filio dicti Monasterii de Petra.

§.4. Item, quod Vicarius Generalis, & Abbas non possint praesentare Monachos, nisi prius constet Deputatis dictae Universitatis quod iidem Monachi legerint spatium decem annorum Philosophiam, aut Theologiam in Religione, aut Universitate praedicta, quodque bis se opponendo in concursu alicujus Cathedralis Philosophiae, vel Theologiae dictae Universitatis legerint, & si aliquis ex dd. Monachis praesentatis legerit in Universitate duorum annorum spatium mediante approbatione Deputatorum, aut Scholasticorum nihilominus habilis sit absque dictis oppositio-

nibus.

§.5. Item quod Cathedra non vacet nisi Monachus de ea provisus illam dimittat post lapsum 25. annorum a quibus legerit, hic vero Monachus remaneat quidem cum titulo, sed sine stipendio, & Monachus pro tempore, pro quo legerit sit subiectus visitationi Deputatorum &c. observationibus Statutorum disponentium de obligationibus Cathedralicorum, & si casus evenierit, quod aliquis privari debeat Cathedra, tunc Deputati teneantur prius dare notitiam Vicario Generali de causa ob quam privandus sit.

§.6. Quodque Religio illum e contra nequeat amovere a Cathedra nisi prius constet Deputatis de causis amotionis.

§.7. Item Vicarius Generalis, & Abbas ad faciendam praesentationem praedictam tempus habeant trium mensium a die vacationis.

§.8. Quodque Provisus intra duos menses post provisionem gradum in Sacra Theologia suscipiat, alias jus amittat in d. Cathedra, & procedatur pro alia provisione, quodque locus in Universitate, & functionibus ejusdem esse debeat juxta antiquitatem gradus sui Doctoratus.

§.9. Item, quod Monachus teneatur legere, ab hora nona usque ad decimam, quodque non possit legere nisi materias, quas assignaverint Consilium Universitatis, teneatur observare turnum, & praesidere in materia de qua legerit modo, & forma quibus solent ceteri Cathedralici.

§.10. Quod in eventum substitutionis possint Deputati alium Monachum substituere absque praesentatione Vicarii Generalis, & Abbatis durante impedimento Provisi.

§.11. Quod omnes Monachi Collegae Professores Theologiae in Collegio S. Bernardi d. Civitatis studere teneantur apud Cathedralicum dictae Cathedralis de prima absque eo, quod sit necessarium, quod studeant apud Cathedralicum de prima Sacrae Theologiae, dictae Universitatis, & apud dictam Cathedralam erectam studere possint.

fint quindecim Scholastici Sæculares, & triginta remanere debeant pro Cathedra de prima Universitatis, quos nominabit Rector dictæ Universitatis.

§. 12. Quod Religio investire teneatur mille libras ad satisfactionem Deputatorum, seu aliam summam necessariam pro annuo redditu lib. 50. per Deputatos consignandarum Cathedralium.

§. 13. Quod ultra dictas mille libras teneatur Congregatio tradere Deputatis duas libras, & sex solidos annuatim, & 46. fortis pro expensis propinarum, ac propriis expensis fabricare mansionem pro Cathedra, & Cathedralium obligatus sit solvere Deputati jura vacantis.

§. 14. Casu, quo Congregatio omittat concurrere ad dictam Civitatem, & Universitatem Cathedra sit solum pro filiis Regii Monasterii, & si in eo non adsint Religiosi habiles, liceat Deputatis providere Cathedram de idoneo extra Religionem, donec habilis existat Monachus filius d. Monasterii, quatenus juridice probetur, quod eam Domus de Petra approbaverit, vel procuraverit resolutionem, quod nempe Congregatio non concurrat cum suo Collegio ad dictam Universitatem amittat in perpetuum Jus Cathedralium quod est conversio amittant ceteræ Domus Congregationis non concurrentes cum Collegio.

§. 15. Eveniente casu, quod supra assignatum stipendium deperdat; & Monasterium de Petra non subroget alia bona, tali casu expiret hujusmodi fundatio.

§. 16. Demum quia Abbas Regii Monasterii S. Salvatoris de Legge, & Cathedralium Philosophiæ Regens Cathedram Sacræ Scripture multum laboravit in fundatione d. Cathedralium, possint ideo ad eam presentari ex pacto &c. prout in dicta concordia plenius continetur.

§. 17. Cum autem, sicut eadem expositio sub-jungebat, Charissimus in Christo Filius noster Carolus Hispaniarum Rex Catholicus transactionem, seu concordiam hujusmodi confirmaverit, & servari mandaverit, ipsi vero Exponentes, ut omnia in ea contenta in posterum adimpleantur, nec de illorum validitate unquam dubitari contingat, transactionem, seu Concordiam præfata Apostolicæ confirmationis nostre patrocinio communitari plurimum desiderant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 18. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innotata existunt ad effectum presentium damtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio circumspectioni tue per presentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, & postquam utriusque loco Pio transactionem seu concordiam hujusmodi expedire judicaveris, eandem transactionem, seu concordiam cum pactis, & conditionibus supra expressis, auctoritate nostra Apostolica pro tuo arbitrio, & prudentia gratis approbes, atque confirmes,

§. 19. Non obstantibus quatenus opus sit, fel. rec. Paul. II., & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Monasterii, & Congregationis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permausuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscat. die XIV. Novemb. MDCXCI. Pontificatus nostri Anno Primo.

X V.

Conceduntur Privilegia Familiaribus.

Ab Alex. VIII. concessa fuerunt eadem Privilegia. Const. ed. 1691. Jan. 12, P. 1.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Venerabilibus Fratribus Herculi Vicecomiti Damiaten. Palatii nostri Apostolici, & Balthasari Cincio Larissen. Archiepiscopi Cubiculi nostri, necnon Josepho Eufanio Episcopo Porphyrien. Sacarii nostri respective Præfatis; ac dilectis filiis Magistris Mario Spinule Januen. Literarum nostrarum, quæ ad Principes scribuntur, Secretario, & Josepho Sacripanti Narnien. in utraque Signatura nostra Referendariis, Subdatario, Præfatis Domesticis nostris, ac Faustino Crispoldi Perusien. Vincentio Ricci Senogallien. Notarum Arcanarum Secretario, Joanni Camporeali Interammen., Petro Laurentio Landucci de Piscia nullius Diocesis Provinciae Florentinae, Ansaldo de Ansaldo Florentin. Auditore, Josepho Ansolini Lauretan., Carolo Augustino Fabroni Pistorien. libellorum supplicum Nobis porreptorum Secretario, Julio Ricci Romano Vestiario, & Eleemosynario secreto, Thomæ Emmanueli de Zarate Calaguritan. Joanni Carolo de Falliafer de Barriere Petrocorien. Marcello Malpighi Bononia. Medico Secreto, ac Josepho Lotario Comiti de Kinigsegh Viennen. Cubiculariis intimis, seu secretis, necnon Urbano Roccio Romano Florerio Majori, & Theodosio Cellesio Pistorien. Fratri Militi magne Crucis Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, ac Comiti Alexandro Capisucchio Romano itidem Cubiculariis Secretis; ac Augustino Sebastiani Camerinen. Julio Casari Bernardini Tudertin., & Joanni Baptista Capilupi Mathe-ranen. Cappellanis secretis; necnon Jo. Francisco Agliandi Taurinen. Josepho Marabini Imolen., & Carolo Nicolao Antolini Lauretan. respective Civitatum, vel Diocesum Clericis, seu Presbyteris, vel Laicis, Cubiculi nostri Adjutoribus, Familiaribus, continuis Commensali-

Clausula.

Dat. 27. Nov. 1691. An. 1.

Concordia re-lata confirmata fuit a Rege Catholico.

Preces Congregationis.

Committitur Confirmatio Apostolica. Card. de Salaria.

bus nostris, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. (reliqua vide in Constitutionibus Prædecessorum Pontificum.)

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscat. die XXVII. Nov. MDCXCI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XVI.

Confirmantur Constitutiones Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

Extant quædam Decreta Capituli Gen. Innoc. XI. Const. ed. 1687, Miji 15, P. 11. Et aliud Decretum hujus Pontificis Const. ed. 1693, Ocho. 24. Pont. 2.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX inuncto nobis divinitus Apostolica servitutis muneri, illa quæ pro feliciter gubernandis, & salubriter dirigendis Religiosorum virorum vota sua Altissimo in sanctitate, & justitia aliunde redere fatigentium, ac propria, alienaque non spirituali tantum, sed etiam corporali salutis studiosa charitate jugiter incumbendum Ordinibus in Ecclesia Dei pie sancteque institutis provide, prudenterque disposita, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio, cum id a nobis petitur, libenter roboramus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis, & piorum operum incrementum, & felicem progressum, ac animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Martinus Salvator Gilaberti Vicarius, & in Romana Curia Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum in Sacra Theologia Magister, quod cum alias ad præscriptum eujusdam Ordinationis in postremo Capitulo Generali dicti Ordinis editæ pro felici, prosperoque ipsius Ordinis regimine, & gubernio nova Constitutionum eujusdem Ordinis coordinatio, seu compilatio facta fuerit, subinde Constitutiones hujusmodi sic coordinate, seu compilatæ ad fel. record. Alexandrum PP. VIII. prædecessorem nostrum transmissæ fuerint, ut suo, & hujus Sanctæ Sedis patrocinio munirentur. Ipse Alexander prædecessor eandem Constitutiones sibi exhibitas nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris tunc suis S. R. E. Cardinalibus, quorum pietas, prudentia, rerum usus, & Sacrorum Canonum peritia sibi longe perspecta erat, disentiendas commisit, qui Mandatis eujusdem Alexandri prædecessoris morem gerentes illas mature, diligenterque examinarunt, & nonnullis adjectis, aliisque, ubi opus fuit, correctis, & emendatis, Constitutiones ipsas in unum Volumen redigerunt, tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 2. Noverint universi, quod cum die 15. Novembris anno Domini 1687. essent legitime vocati, & congregati in hoc Curia Matritensis Cenobio Regalis, ac militaris Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Religiosi viri ex prædicto Ordine destinati ad novam exequendam coordinationem,

compilationem, texturamque Constitutionum eujusdem Ordinis stabilitam in septimo Decreto ejus Generalis Capituli in Conventu, & Civitate Optensi Regni Castellæ proxime celebrati die prima Junii anno superiori 1686. in quo videlicet sancitum fuit, ad præfata novam, perfectioremque Constitutionum compilationem, quædam specialis institueretur Congregatio Religiosorum ex primis, & præcipuis eujusdem Ordinis, quos in hunc modum ad prædictam Congregationem nominatim assumpsit, nimirum, pro Aragoniæ, Galliaque Provinciis R. P. M. F. Josephum Linas totius dicti Ordinis Generalem Magistrum, Dominum Varoniarum de Algar. & Escalæ, & supremi Senatus Fidei Censorem, pro Castellæ Provincia R. P. M. F. Josephum Gonzalez tunc temporis Provinciale eujusdem a Consiliis supremis Inquisitionis Senatus, Regisque Immaculatæ Conceptionis confessoribus, & Academia Salamantina vespertinum moderatorem, pro Valentina Provincia R. P. M. F. Damianum Stephanum Diffinitorem Generalem, eujusdem, pro Vandalica R. P. M. F. Marcum de Ostos Exprovinciale, & Diffinitorem Generalem eujusdem Provinciae Concionatorem Regium, ac præfati Summi Fidei Censuræ Confessoris, pro novæ Hispaniæ Provinciis R. P. M. F. Michaelem Mayers Exprovinciale, & Diffinitorem Generalem Castellanae Provinciae Exvicarium Generalem eujusdem novæ Hispaniæ Provinciarum Regiumque Concionatorem, pro Peruanis Provinciis, & Italica R. P. M. F. Ferdinandum de Caubayal, & Ribera Exvicarium, Generalem earundem Provinciarum Concionatorem Regium, ac in Urbe Generalem Procuratorem, in quorum insuper locum cum a præfato Capitulo concessa fuisset facultas prædicto Reverendissimo Generali, ut quolibet deficiente alios per se solum, & pro libito substitueret, & ipse virtute facultatis hujusmodi pro prædictis R. P. M. F. Josepho Gonzalez, & R. P. M. F. Ferdinando de Carbayal legitime postmodum impeditis ob assumptionem primi ad Episcopatum Mirobrigensem, & secundi ad Archiepiscopatum Insularum S. Dominici alios instituisset viros pro primo scilicet R. P. M. F. Petrum Garzia Provinciale Provinciae Castellæ, & ejus fortasse loco si munere, vel alias impeditur, uti revera impeditus fuit, R. P. M. F. Hieronymum de Mendoza Diffinitorem Generalem eujusdem Provinciae, Regiumque Concionatorem, & pro secundo R. P. M. F. Jacobum Brisegno Provinciale Chilensem, qui tunc aderat in Regali Conventu Matritensi, cum in hoc inquam omnes prædicti vere essent legitime congregati, ut præmissum est in forma Diffinitorii Generalis, & prædictæ plenitudine potestatis utentes ad præfata Constitutionum texturam sibi a Capitulo Generali concessa, denuoque roborata, & confirmata a Sanctissimo D. Nostro Innocentio XI. in eujusdem Bulla, quæ incipit *Militantis Ecclesiæ* sub datis Romæ apud S. Mariam majorem, sub Annulo Piscatoris die 15. Maii anno Domini 1687., & sui Pontificatus undecimo, cumque tam prædictus Magister Ordinis, quam tota præfata Congregatio in eujusdem secretarium me infra subscriptum E. Michaelem de Ulete præfatum de numero ex dicta Castellæ Provincia legitime constituisset initium dederunt prædictæ Congregationis actibus, & sessionibus cum

Isti Capituli facta fuit præd. Compilatio, ad Alex. VIII. transmissa, & a nonnullis Card. ad examen revocata.

Ubi a quibus & qua auctoritate fuerit d. Compilatio.

ea